DE VESTITU DISSERTATIO AUGURALIS QUAM AD LAUREAM...

Giovanni Antonio Tagliari

Digitized by Google

DE

VESTITU

DISSERTATIO AUGURALIS

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM CONSEQUENDAM

IN PATAVINA STUDIORUM UNIVERSITATE

PUBLICE DEFENDEBAT

JOANNES ANTONIUS TAGLIARI

VENETUS LUCUDIANENSIS

PATAVII

EX TYP. ANGELI SICCA

1843

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆSTANTISSIMO VIRO

JACOPO ANDREÆ GIACOMINI

IN

OBSERVANTIÆ GRATIQUE ANIMI

TESTIMONIUM

Digitized by Google

608

Digitized by Google

Quum medicorum sit non modo labefactatam valetudinem aegris restituere, sed idoneis etiam naturae atque artis adjumentis ingruentium morborum impetum praecavere, ita neque a me, neque ab hoc spectatissimo loco alienum visum fuit hygienis argumentum in lucem proferre. Ecquidem fateor de re therapeutica me libentius disseruisse. Verum quid unquam ex immensa propemodum medicae disciplinae provincia mihi erat decerpendum, quod vestrum omnium non dicam laudem, sed ne adprobationem quidem promeruisset, quum omnibus plane innotescat nullam profecto scientiam tanta opinionum discrepantia, quam medicam ubique dilaniari? Quamobrem ut vanas cujusque generis disputationes devitarem, pauca de vestitu dicere satius putavi, quippe qui multiplicia inter ac potiora valetudinis tuendae adminicula jure optimo recensetur.

Quidquid humano corpori exterius adplicatur, ut ab eo frigidi, calidi, humidique aeris et cujuscumque coeli inclementiae amoveantur impulsus, vestitus nuncupatur. Quod autem ad vestitum, sive is in causa sit, cur omnis calor, qui a nostro gignitur corpore, retineatur in cuti; sive externum calorem, humoremque omnem prohibeat ingressu, duo potissimum sunt consideranda: materies, inquam, ex qua conflari, et forma quae illi dari solet. Quibus rebus pro meis viribus rite perpensis, nonnihil etiam de vestium colore, deque forma addendum mihi esse optimum puto, et eo quidem consilio, ut haec mea oratiuncula alicujus, si fieri potest, sit emolumenti.

Digitized by Google

619.

Ac primum materies, qua utimur in vestibus conficiendis, duplicis est generis; aliam enim regnum animale, aliam regnum vegetabile nobis suppeditat. Siquidem lana, sericum, pili et quorumdam pelles animalium nihil aliud sunt, quam animalis productio: cannabis vero, linum, gossypion, atque etiam palea alterius sunt regni. Attamen haud raro contingit, ut utriusque regni materies simul jungantur, adeo ut vestes, quae ex hac compositione conficiuntur, an ad unum, alterumve regnum pertineant, prorsus ignores. Neque parum interest vestium delectus, quum juxta materiem, ex qua conflantur, juxtaque regnum, ex quo habentur, varia eisdem in corpus humanum insit agendi ratio. Harum enim nonnullae calorem apprime valent conducere, aliae repellunt; neque illae, quae humorem imbibunt, materies desiderantur.

Enimvero ex physicorum sententia calorem apprime conducunt omnia illa corpora, quae mira quadam caloris excipiendi gaudent facultate, atque uno eodemque tempore eundem facile emittunt; dum e contrario quae caloris ingressum impediunt, neque illum alio sinunt transmitti, inter ea recensentur, quae calorem male conducere dicuntur. Hisce positis, scire oportet materiem, quae natura sua ad calorem excipiendum, exceptumque transmittendum caeteris omnibus minus est idonea, eam esse, quae citius humanum corpus calefacit, quippe quae calorem e corpore promanantem ad ejus superficiem conservat. Laneae vestes huc referuntur. Etenim istae neque calefiunt, neque corpori, quo praeditum est, calorem eripiunt; qua de re vestes hujusmodi calorem nobis conservant. Igitur si calor externus magis esset evectus, quam qui in nostro cor-

Digitized by Google

pore, nos lana ab ardentis solis radiis satius quacumque alia materie defenderet. Quod quidem eveniret, dùm verum illud est, quod nemo dubitat, vestes, quae difficilius nostri corporis calore imbuuntur, difficilius quoque imbui externo. Tunc amictus ex lana cutim melius ab solis ardentis radiis, quam ex cannabi tueretur. Materies contra, quibus vestes conficiuntur nostrae, quae ad frigus potius, quam ad calorem promovendum conferre putantur, illae equidem sunt, quae caloris vim apprime conducunt. Istae revera materies facili negotio calorem, qui nostro inest corpori, prius absorbent, deinde emittunt ac transferunt. Verum quum pari modo, parique facilitate calorem externum absorbeant et nostro tradant corpori, optimo meritoque jure possumus asserere, hasce materies ad ipsum corpus a vividissimis solis radiis tuendum admodum esse ineptas. Quare nil mirum, si gens hispanica humeros sibi tegat quasi pallio quodam ex lana confecto, quotiescumque fervidos solis radios debeat sustinere. Quemadmodum vero corporis humani calor is est, beatissimis saltem in Italiae regionibus, qui neque par, multoque minus inferior sit, quam externa coeli temperies, sic summae nobis erit utilitati iis uti vestibus, quousque aestas perseveret, quae vim caloris satius conducunt, ideoque calorem internum et absorbere, externisque rebus tradere valent. Ex quo fit, ut vestes ex cannabi linoque textae aestatis praesertim tempore illis merito praestare ducamus, quae ex regno animali proveniunt, lanae nimirum, serico atque etiam pilis. Neque satis: namque ipsa eadem ratio, qua vestes texuntur, plurimum conferre videtur, ut plus minusve ad calorem ducendum sint aptae. Sic quarum textura

Digitized by Google

612

est laxa, atque adeo rara, quaeque aeris ingressum nullo modo possunt praepedire, hujusmodi inquam vestes, quas primo adspectu calorem emittere atque effundere existimares, ad eum retinendum diuque servandum magis sunt accommodatae. Vestes scilicet, quae laxitatem quamdam praeseferunt prae illis, quibus densior est textura, licet aequalis in utrisque sit proportio materiei, ad calorem retinendum magis contribuunt.

Haec porro veritas ut vobis tamquam plena diei lux innotescat, experimentum illud, quod olim celeberrimus Rumfort instituit, in medium proferendum puto. Ita siquidem opus aggressus est. Aliquot serici et lanae frusta nulla arte elaborata sumpsit, eisque quemdam globulum metallicum ad certum caloris gradum calefactum obvestivit. Tarde globulus, quem adeptus erat, calorem emisit. Stratum jam hoc ex lana et serico huic globulo admotum haud facile penetrari calore statim Physicus conclusit. Æqua deinde serici lanaeque quantitate in fila deducta idem corpus ad eumdem caloris gradum circumvolvit, idemque altero hoc strato citius frigescere animadvertit. His confectis, manifesto apparet hujusmodi tegumentum faciliorem calori transitum praebuisse. Ceterum ipse Physicus aliique permulti in eo plurimum laborarunt, ut aliquam hujus rei darent explicationem. Equidem vero is non sum, qui novae alicujus hypotheseos ostentationem facere velim, neque hic locus est, ubi ratiocinandi potius quam imaginandi vis debeat dominari. Qua de re satius duco illorum opinionem amplecti Physicorum, qui aerem in multis laxae texturae spatiolis retentum ita mutari judicant, ut

Digitized by Google

malus, dum bonus paullo ante, caloris conductor ipse idem evadat. Verum quomodocumque se se habeat res, certum illud est atque indubitatum, vestes eo pejus calorem conducere, ideoque ad calorem, qui animalis dicitur, servandum tanto magis esse aptas, quo strictior ac densior sit earumdem textura. Aliis id experimentis comprobare possem, nisi hoc unum viris a rebus physicis haud alienis satis esse existimarem. Idcirco, quod quidem utilius, mox legem, quam superius cognovimus, vestitus usui et humani corporis commodo applicandam curabo. Siquidem patet, et testem appello quotidianam populorum experientiam, quaedam aut lanae aut gossypii frusta intra duas cujusvis materiae quasi laminas inclusa, vestes ad calefaciendum corpus valde bonas constituere, et contrarium accidere, si quo artis studio haec eadem frusta elaborentur. Ex quo fit, ut indumentum quodlibet ex lana admodum rudi, qualis nimirum ex ovium vellere sumitur, majorem nobis caloris quantitatem conciliet, quam idem indumentum ex eadem delectae elaborataeque lanae quantitate conflatum suppeditet.

Quum autem vestes plus minusve humoris absorbeant, varium ex hac etiam causa in hominum valetudinem influxum exercere videntur. Tantam revera vestes aliquando humoris quantitatem absorbent, ut prorsus madefiant. Quod ubi accidat necessario et ipsum corpus frigescit. Duplex autem istiusmodi humoris est origo. Ea, quae nos circumeunt, aer imprimis, quoties humida nostro corpori contactu adhaereant, nisi omnem, aliquam profecto humoris partem eidem impertiunt; unde fit, ut humor hic aut directe nostri corporis membra afficiat, sicuti faciem ac manus, aut

814

indirecte, nempe si eodem vestes inficiantur. Alter humoris fons ipsum humani corporis est tegumentum, cutis nimirum. Namque vapor serosus continuo excernitur ab arteriolarum osculis, quae in universa corporis superficie ubique aperiuntur: qui quidem vapor tanta in copia excerni potest nonnunquam, ut in liquidum humorem conversus sudoris nomen mutuetur. Interim ex cannabe linoque vestes, quae propere humorem imbibunt, propereque emittunt, gravius valetudini officiunt, quam laneae, quae lentius madefiunt et sensim exsiccantur, et praeterea majorem humoris copiam possunt continere, quin ullum afferat detrimentum. Magni igitur facienda nobis est harum proprietatum cognitio, quippe cui innititur vestium delectus, quibus homines pro coeli, tempestatum, aetatis, indolis ac sexus diversitate uti debent.

Quoad cannabem et linum, vestes quae ex hac duplici constant materie, facile calorem emittunt, ideoque frigori obtinendo inserviunt. Hae porro haud aegre humectantur; multum humoris sistunt in cuti, quia nimirum exiguam tantummodo illius partem inter ipsam telae textarum continere possunt; frigus cuti inducunt, quod statim humorem exuunt suum, quem ut in vapores efferant, corpori calorem auferunt, quia denique quum sint madefactae, caloris vim melius, quam quum siccae conducunt. Inter omnes igitur materies ad vestitum efficiendum idoneas, cannabis et lini tela ea est, quae magis confert ad illos morbos edendos, qui ex frigidi humidique super cutim impulsu enascuntur.

Qui ad cutaneos morbos suapte natura sunt proclives, morbos inquam, quos, uti omnibus patet, quidam caloris sensus ac prurigo consequitur, in canna-

Digitized by Google

bis aut lini tela aptissimam caloris ductricem habebunt materiem, et ideo frigidulam, per se ineptam ad augendum calorem, irritationem ac pruritum, quem aut prorsus auferre, aut saltem imminuere studemus. E contra hujusmodi tela inhibenda, quum majorem caloris gradum parti, cui admovetur, conservare opus sit.

Gossypion vero quod attinet hujus textura ineptior caloris ductrix cannabe et lino, asperior, ideoque irritantior minori caloris copiae aditum permittit, absorbet diuque retinet sudoris partem; proptereaque non sinit eum supra corporis superficiem refrigescere, sicuti materies, de quibus hactenus loquutus sum. Gossypii usus utilior, quam telae generatim est, dummodo nulla super cutim habeatur irritatio, quam reprimendam curemus.

Praejudicata quoad usum gossypii medicorum opinio, quippe quod minus quam cannabis linumque saluti contribuit, ex eo plane deducitur, quod quum sit gossypion ineptius caloris ductor, multo majorem scabritiem et inaequalitatem praeseferat, atque hinc praedictis irritantius materiebus, gossypion inquam in nonnullarum affectionum concursu, in iisque mucosam ani membranam pudendorumque afficientibus, quemadmodum in omnibus cutaneis morbis, immodicum caloris gradum retinet, damnosamque parit irritationem, quibus salutis reditum retardat, quin etiam morbi gradum adauget, quod profecto cannabis linumque prohibent; sed hoc in casu lana, quae majori pollet asperitate et humanum corpus magis fovet eo hisce morbis esset infensior. Quam ob rem ubi tales morbi grassentur cannabis linique tela caeteris anteferenda. Atque hic forsan falsa ubique invaluit opinio, minus

Digitized by Google

616

cannabe et lino materiem saluti idoneam gossypion efficere. Ego autem, nisi mea me fallit opinio, asserere non dubito, excepta cutis irritatione, majori gossypion esse utilitati. Si enim cannabis et lini praeter gossypion indusia corpus aestate refrigerant, illa tamen hac tempestate, corpus sudore madens ut subito frigescat efficiunt; quod quidem incommodum nisi leviter pariunt indusia gossypii, quaeque praeterea hiemis tempore tantum frigoris, dum foedis vestibus exuimur, nunquam adducunt.

Atque utinam tantum mihi eloquentiae suppeteret, ut frigidarum regionum incolis gossypii usum persuaderem, tum etiam hieme saeviente mitiores coeli plagas Italiam videlicet incolentibus. Hujusmodi gossypii vestes iis praescribi volumus, qui ob textuum organicorum laxitatem, humorumque lymphaeque imprimis affluentiam, ejus sunt temperamenti, quod a medicis lymphaticum nuncupatur. Quum vero in foeminis fluidae potius quam solidae praevaleant substantiae, ideoque lymphaticam exhibeant naturam, vestibus ex hac materie conflatis exornari deberent.

Cum vero hic serici mentio facienda sit, illud notandum occurrit, hanc materiem calori aditum praecludere, neque cuti apud nos, quemadmodum textus ceteri, nisi crura excipias, admoveri. Sed plurimum juvat sericum, quotiescumque magnum caloris gradum vestibus promovere velimus, quin earum pondus augeatur. Quod quidem illae praestant vestes, quae ita elaborantur, ut sericos veluti inter parietes, majus vel minus gossypii stratum includatur. Nec praetereundum sericum in subtillima ac lucidissima fila deduci, ex quibus pulcherrimae conficiuntur vestes, plurimi

Digitized by Google

tamen pretii quae venustati melius quam hominis commodo inserviunt.

De lana autem quum sermo habeatur, nullam ipsa calori viam aperit, et praeter proprietatem, qua eminenter gaudet, egressum scilicet caloris e nostro corpore impediendi, confert praeterea ob texturae asperitates, quibus admodum est obsita, ad irritationem rite promovendam, et sanguinis motum in capillaribus cutis vasis adaugendum: eadem quoque pruritum excitat, qui initio statim molestiae est, augetque cutis exhalationem, qua prorsus imbibitur, quamque latitantem, ut ita dicam, servat; neque eam super corporis superficiem defervere permittit.

Itaque quum lana ea sit materies, qua calor animalis neque augetur, neque imminuitur, et quum uno eodemque tempore cutaneae perspirationis effectus absque ullo physicae oeconomiae detrimento lana retundat quodammodo et compescat; ecquis unquam inficias ibit vestes, quae ex lana conficiuntur, non solum ad tuendam, sed etiam ad recuperandam saepe hominum valetudinem, nonnihil conferre? Nihilominus cavendum est, ne vestes istiusmodi nobis noceant; plures enim morbi ex hac potissimum causa videntur oriri. Et reapse quis non videt illum, qui ab ineunte aetate laneis vestibus usus est, delicatiorem simul induisse naturam adeo, ut solitas aeris injurias, multoque minus tempestatum, maximeque hiemis perversitatem sustinere non possit? Huc pertinent omnes illi morbi, quos ex causa *rheumaticos* vocant medici, uti gravedo, pituita aliique permulti, quibus illi potissimum afficiuntur, qui laneis vestibus induti, ne dicam obruti, inter angustos domi parietes totam fere vitam misere

Digitized by Google

618

traducunt. Ipsa autem lana, quae rheumaticus quandoque morbus cur oriretur in causa fuit, eumdem saepe valet infringere. Jamvero si quis superveniente hieme in morbum incidat rheumaticum, parvi autem momenti, uti dolor esset, isque mitis tum in tergo cum in collo, artubusque, tussicula etiam, ac sollicite laneo involucro partes, quas dixi affectas, contegat, haud raro inquam accidit, ut pristina paullo post ei salus arrideat. Satis sit hoc in loco rem exposuisse, quam inferius, ut criticum decet, mihi explicandam proponam. Sed aliquis fortasse mihi dicet caloris augmentum molestumque pruritum lanam inferre, ob quam rem plus detrimenti, quam utilitatis lanam humano corpori conciliare. Verum haec incommoda, quibus neminem ego credo, si prius bona fruebatur valetudine, affici posse, post paucos dies solent imminui et propemodum disparere. Nullum praeterea caloris augmentum lana potest inferre, quum haec suapte natura omnium pessima caloris ductrix sit materies. Hoc igitur incommodum nullo modo lanae est adscribendum, atque aliunde repetendum. Quod si rem accuratius examinemus, id sane contingere videbimus, quotiescumque, vestibus ex cannabe linoque detractis, laneas induamus. Illas jam materies calori e nostris organis emananti viam patefacere superius vidimus, unde amoenissimum illud et admodum jucundum aestatis tempore refrigerium. Lana contra quum externi internique caloris transitum praecludat hiemis tempore summum nobis atque adeo jucundissimum praebet beneficium. Adde quod ita homo est a natura comparatus, ut ipsi rerum asperitati processu temporis assuefiat. Quamobrem, quoties laneis uti vestibus utile esse ducat medicus ac neces-

Digitized by Google

sarium, illum ne duplex hoc incommodum, quod lanae usus secum fert, uti lucem sol, caloris augmentum scilicet ac pruritum, ne medicum inquam deterreat ab earumdem usu, ne, ut levia vitentur incommoda, gravia immineant pericula. Verumtamen ego is non sum, qui tam facile lanearum vestium usum commendem, eoque magis propagari desiderem: quin etiam quum ipsius Italiae accolas, ubi coelo nescires, an morum suavitati primas concedas, his abuti vestibus videam, non possum quin animo doleam ac succenseam. Et forsan utilis mos esse existimatur infantum atque puerorum membra a prima aetate stragulis aliisque lana textis involucris contegere, ne illos frigus et ipse aer aggrediatur. Ego autem opinor ab hominis natura non abesse, et potius illi convenire aeris impulsibus ipsiusque frigoris molestiae corpus mature assuefieri, praecipue quum huic quotannis, illi continuo objiciamur. Hisce positis, toto coelo illi errant parentes et matres imprimis, quae nudo natorum corpori, dum prospera utuntur valetudine, laneas vestes student admovere. Eorum gemitus ac ejulatus, ipsorumque artuum exagitatio, quibus hujusmodi vestitus incommodum frustra nituntur exprimere, et matris seu nutricis inhumanitatem stultitiamque quodammodo exprobrare ejus quidem aures feriunt, sed animum nequaquam movent. Interim nescio qua spastica adfectione eos credunt laborare et curationis causa ad oleum amygdalarum dulcium, quo ventrem inungunt, tamquam ad anchoram sacram confugiunt: qui revera morbus, ni fallor, idem est ac negotium illud nervosum, vel acuta vel imminuta nervorum efficientia, itale *innervazione*; quae quidem verba ex ore saepe saepius effluunt inter

Digitized by Google

alias omni sensu destitutas sententias complurium medicorum, quoties morbi naturam ejusque phaenomena nesciant interpretari. Quid plura? Medico in auxilium vocato, doctae matris judicium haudquaquam mutatur, et mirifici remedii, quod jam antea sedula sibi mater comparaverat, effectus ab eo enarrantur, et nisi ei praesto sit memoria, quin pudeat, effinguntur. Attamen aliquot dierum curriculo elapso, desinunt ipsi lacrymas effundere, clamores edere, et hac illac per lectulum exagitari. Tunc morbum mater oleum vicisse, et recte medicus diagnosim instituisse exclamat. Ego contra se pejus habere puellulum puto; etenim cum laneis ipse vestibus assueverit, talem habitum induit, qui ejus corpus imbecillum infirmumque reddet. Quam melius et mater et medicus illius bono consuluissent, si fletus, clamorum iraeque cognita causa, ei laneum vestimentum illicò detraxissent! Spastica illa affectio extemplo cessasset, et pueri vultum a fletu in risum conversum statim conspexissent.

Enimvero prodest laneae vestis applicatio in iis omnibus humani corporis affectionibus, quas medici vocant *rheumaticas*, ut in doloribus modo fixis modo vagis, qui articulos et ipsum periostium saepe saepius ex aeris intemperie divexant, in eisque membranae mucosae tum capitis cum pectoris invaletudinibus, unde gravedo, epiphora et pituita solet evolvi. His vero morbis, ut omnes ajunt medici, nihil magis obest, quam caloris gradus inconstans; et constans e contrario caloris gradus, ut experientia quotidie demonstrat, plurimum conferre videtur ad eos plane morbos abigendos. Ceteroquin, si nullum aliud auxilium praeter laneas vestes adhibitum fuerit, inficiandum non est,

Digitized by Google

id solummodo a calore ad equum gradum servato contigisse. Scilicet huic uni lana inservit. Jamvero non me latet plerosque medicos asseruisse, et gallicos imprimis, ex irritatione, quam lana in cutim provocavit, peracutos capitis dolores, herpetes etiam, tineam, plicam polonicam, haemorrhoides, leucorrhoeas, chronicas ventriculi atque intestinorum affectiones, aliasque permultas simplici hoc remedio fuisse tamquam ex suis radicibus evulsas. Id ipsi revulsionem effecisse gratis asserunt. Quid autem est haec illorum revulsio? Quomodo unquam fieri poterat, ut organorum laesiones quae in morbis, quos superius nominavi, ut in ceteris omnibus, nullo excepto, aderant, quasi fluidum electricum ex longinquis illis partibus transferrentur in cutim? Ex laneae vestis applicatione absorptionem augeri, secretiones atque excretiones melius effici ac liberius ego puto, idque ob auctum quidem sed modicum et constantem caloris gradum evenire. Tali profecto ratione organorum laesiones auferri possunt, et in pristinum salutis gradum organa restitui. Ceterum male sibi consulunt ii, qui dum vel omne corpus, vel, uti mos est, superam tantum illius partem, brachia nimirum, pectus ac dorsum *tegere* lanea veste consueverunt (quam Itali vocant *flanella*), hanc mitioris coeli causa amoveri posse arbitrantur. Quanto sit detrimento a quovis veteri vitae instituto recedere, neminem puto esse, quin videat. Altera enim est natura consuetudo, eique tamquam ipsius naturae legibus nobis parendum.

Quod si quis laneum aliquod induerit vestimentum ea mente, ut morbum superaret, illud statim ac morbus devictus est, deponat, ne assuefiat, quemadmo-

Digitized by Google

dum ab usu pharmacorum abstinemus tunc, cum penitus morborum vis est profligata. His notatis, illuc unde profecti sumus, revertamur.

Siquidem iis est lana puellulis molestiae, quibus integra est valetudo, quorum cutis vividum roseumque colorem praesefert, quos calor organicus ob fervidam functionum vegetationis alacritatem nimis fovet, ita ut, nisi ex parte idonea vestitus qualitate e cuti erumpat, eis damnum apportet. Quod e contra iis contingit puerulis, quorum cutis et pallet et frigescit, quibus singularis est membrorum laxitas, atque artuum debilitas, uno verbo qui scrophula, rhachitide, alioque morbo adflictantur, qui sane omnes, laneis vestibus admotis, prae laetitia gestire sibique gaudere videntur.

Quoad lanae delectum nihil aliud dicam, nisi eam esse antehabendam, quae huc ex Anglia importatur ob insignem ejus laevitatem, cujus texturae imitatio, quod quidem dolendum, apud Italos in desiderio adhuc est, quippe, ut omnibus aperte innotescit, vix cutim irritat.

Postquam de vestium materia loquuti sumus, aliquid et de earundem colore adjiciamus oportet, praesertim quia haud raro in causa est, cur major vel minor caloris gradus habeatur. Ac primum vestes albae caloris lucisque radios reflectunt, dum eos nigrae absorbent. Unde fit, ut nix inter frustum telae nigrum obvoluta citius, quam inter album liquescat: ex qua physicorum experientia apparet potioris fervente aestate usus esse vestes candidas, et hiemis tempore subobscuras. Illud tamen huic opponitur observationi, quod si vestitus albi ab externa texturae facie externi caloris radios reflectunt, calorem quoque e corpore emanantem ab

Digitized by Google

interna, quae cutim respicit, parte retundant. Ipsae itaque calorem humano corpori insitum conservant, nec unquam emittunt, quod quidem coloris nigri indumenta praestarent. Quid porro ex hisce duobus adsertis? Illud nimirum consequitur, quod nobis, dum aeris temperies magnopere efferveat, solis radios directe excipientibus, parvi facienda sit caloris animalis integritas, cui albus vestitus cutim subjicit prae singulari, quam nobis adfert, utilitate, externos scilicet caloris radios propulsando. Hujusmodi vestis frigidula magis hoc in casu, quam nigra nobis continget. Verum decrescente caloris externi temperie, vestitus ne albi sunt etiam frigidiores, ideoque, ut plures medicarum rerum auctores contendunt, minus idonei? Quoties revera ad ignem accedimus, nigrae vestes calorem citius ad nos ferunt, licet nostri corporis calorem egredi sinant. Tali enim pacto plus accipimus, quam amittamus. Hoc autem excepto, in omnibus sane casibus humanum corpus sub quocumque caloris gradu albi coloris vestes satius defendent. Quae quum ita sint, asserere non dubitamus tum hiemis cum aestatis tempore hujusmodi coloris vestes utiliter indui. Quod si praeter ea, quae diximus huc usque, levia velimus attingere, nobis fortasse notandum occurret, nigros vestitus, qui celerius quam albi animalem calorem emittunt, aptiores aestiva tempestate sub umbra hisce evasuros, quemadmodum tota hieme antehabendi sunt, quippe quia faciliori, quam albi, negotio caloris externi radios admittunt, quum domesticos inter cubiculi parietes recepti ardenti, ut moris est, foco adpropinquemus. Haec autem duo peculiaria rerum adjuncta generali, quod paullo supra statuimus principio minime offi-

Digitized by Google

624

ciunt; quin etiam per singulas anni tempestates, inque omnibus coeli plagis albi coloris vestibus principatum cuique dandum jure optimo decertamus. Atque ut quidquid ad vestium colorem pertinet absolvatur, illud dumtaxat adjungimus exquisitissima artis industria vestitus esse imbuendos colore, ad multa averruncanda pericula, quae possent exoriri, quum factum plerumque sit, ut cutim color infecerit, et multo gravius coloris substantia per cutaneos meatus sibi viam patefecerit, quae quum venefica interdum sit vel maximum humano corpori afferre potest detrimentum.

Reliquum est, ut parumper ob temporis angustiam de vestitus forma loquamur. Et primum calorem ipsa animalem aut conservat, aut, ut is exterius effundatur, efficit. Quare ubi tellus aestuat, ut in pluribus Africae et novi terrarum orbis regionibus, et in multis quoque Europae plagis aestatis tempore, latissimis utendum esset vestibus, quo melius renovetur aer, liberiusque per spatium, quod illas inter ac cutim intercedit, renovatus discurrat. Attamen huic oppositum saepe homines amplectuntur morem. Qua quidem in re caveamus oportet, ne populorum dissitas terras incolentium imitemur vestitum, neque solum quoad materiem, ex qua conflatur, verum etiam quoad ejusdem formam; nam quum alius hic, alius ibi caloris gradus occurrat, sic etiam vestes, quae illis conveniunt, nobis essent detrimento. Si latis vero vestibus uti debent ii, qui terras incolunt calidiores, angustae potius ab iis, qui frigidiores, induendae. Quin immo cuicumque corporis parti (ne delicatioris quidem sexus humeris exceptis) et hiemis tempore, et ubi frigus urget, adhaereat vestitus: aliter enim vel universum corpus incidet

Digitized by Google

in morbum, vel unum tantum organum prae ceteris, uti guttur, pulmo atque alia afficietur, adeo ut nonnunquam, quod prorsus dolendum! in maximum vita ipsa periculum adducatur. Postremo vestes ubi nimium angustae sint humanae obsunt valetudini eo, quod externarum maxime partium evolutionem impediunt, efficiuntque, ut organa quoque interna plus minusve capiant detrimenti. Et sane quomodo unquam eveniet, ut cutis functiones admodum integritati vitae necessariae exerceantur, musculorum augeatur energia, sanguinisque circuitus per vasa cutis capillaria perficiatur? Sed satis de hoc etiam argumento: longum enim esset singula persequi oratione. Quare, postquam sedulam vestium expurgationem commendaverim, dissertationi finem imponam, illud unum animadvertens tot morborum causam, quos partim diaetae erroribus, partim aeris insalubritati aliisve adscribimus, ab inconcinno potius vestitus usu atque delectu proficisci.

Pag. 10. lin. 22. textarum *leggi* texturam
» 11. » 19. ineptius — ineptior

Digitized by Google

821

Digitized by Google

THESES DEFENDENDÆ.

1. Febris, sive essentialis sive symptomatica sit, semper a medico plurimi facienda.
2. Quaevis functionum laesio pendet a laesione organorum.
3. Morbus dynamicus in organicum mutatus potest aliquando medica ope curari, quin manu chirurgica opus sit.
4. Duplex est cujuscumque remedii agendi ratio, mechanica nempe et dynamica.
5. Vel Allopathia, vel Homeopathia falsis innititur principiis.
6. Anatome pathologica prae ceteris confert ad morbi naturam statuendam.

Digitized by Google